B. N. C.
FIRENZE
1021
7

1021
7

XXVII
DEMPST
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1021
7

DEMPST:

10217

STRENA KAL. IANVAR.

CIↃ IↃ CXVI.

AD ILLVSTRISS. VIRVM. DN. IACOBVM HAYVM DOMINVM AC BARONEM DE SALEY,

REGI A SACRATIORI PVRPVRA, ET PROTOVESTIARIVM, communem literatorum Mecænatem.

¶THOMA DEMPSTERO I. C.
Hiſtorico Regio Authore.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872
PVB. FLORENTINAE BIBLIOTHECAE

LONDINI
Excudebat IOHANNES BILLIVS. 1616.

1021.7

STRENA KAL. IANVAR.

CIϽ IϽ CXVI.

S tato recurſu temporis feſti, dicant
T ibi Camænæ munus, atque vltro tuum
R ogant fauorem, fama nam te vnum canit
E t literati prædicant charum ſibi,
N atum benigno ſidere vt Muſas iuues.
A pollo meritum laudati, & grates agit

I nſigne munus ſæpe quod tribuas ſuis,
A tque in ſupremo ſortis humanæ ſtatu,
C vm rege ſolo ſis minor, animum geras
O pes ſupra, miratur, & proſperrimo
B ene apprecatus, te ſalutat omine:
O mneſque Pindi delicias ſoli tibi

H oc munere offert, quem facit ſeries patrum
A vique clari nobilem, atque hoſtis graui
I vgo repulſus, longa progenies quidem
O rtu decoro ſanguinis, dum a patria

B arbara recedit natio, & campo fugax
A bit cruento, nobilis ſed tu magis
R egi probaſti, & ciuibus cunctis fidem.
O! te fauente liceat abijſſe hoc ſolo.
N on vlla tanto munere, vt viuam, imparem,
I ani nec immemorem hujus efficiet dies.

AD AVGVSTISS. POTENTISS. REGEM.

ERgone damnatis ego ſidera verſa querelis
Exagito? votiq́ue reus ter ſurda laceſſo
Numina? nec patrio dudum exaudita Tonanti
VOTA, preceſque meæ? dum ſexta recolligit ignes
Cynthia, me ſors fruſtratis ambagibus actum
Diſtinet à ſtudijs, & ſpe blanditur inerti,
Et famæ illudit. Quæ trux iniuria dirum
Præſtitit officium? cur Regis verſa voluntas
Tam ſubito caſu, ſperataq́ue gratia fluxit,
Et prope deſtituit? Thema an genitabilis horæ
Obſtitit, inſcripto facies & diſſona cælo,
Lumine num ſtellæ natum videre maligno?
Sed mihi Mars, ſed Mercurius, ſed Iupiter ore
Regali, charum promittit regibus ortum,
Naſcentiq; fauens, ſpatioſum circinat orbem.
Carmine an offenſa eſt, & ſunt hæc veſtra ſorores
Crimina Pierides, quas falſa intexere chartis
Non puduit, mentituris & inania biblis
Condere? Ter magni ſed vera encomia regis
Pagina noſtra habuit, nulliq; obnoxia fuco
Nomina, quæ poterunt ſeri laudare nepotes,
Quæ fruſtra attentat liuor furialibus auſis,
More gygantæo temerans cæleſtia linguis.
Principis anne animus Muſis auerſus, & illa
Sordet honorato quæ ſplendet Apolline turma,
Nullaq; virtuti ſtatuuntur præmia digna,

Calcatæq; iacent nullis & honoribus artes
Vindice quæ ſueuere illo caput ante leuare?
Vnica at à cunis cura eſt coluiſſe camęnas,
Et quicunque ſacro delibat fonte liquorem
Virgineum, aut caſta complectitur orgia mente.
At malè diſplicuit fortaſſe ignobilis ortus,
Contemptumq; genus, curis regalibus impar,
Indignumq; legi? Sed enim clariſſima gentis
Fax mihi pręradiat, tituliſque inſignis auitis
Tollo caput, patrum generoſaq; ſtemmata iacto,
Queis pręfecturæ titulo Buchania pridem
Paruit, & modico quæ ſurgit Banfia colle,
Notaq; Dempſteris per ſæcula Deurona quinque,
Illic ampla domus, turritaq; męnia pinnis
Stant mihi, & à proauis dimiſſum ſtemma, paterni
Hic tituli, & patrio numeroſi more clientes.
Forte tenax manus eſt, & dextera parca monarchæ.
Atque exhauſta nouis æraria regia damnis,
Et victus ſumptu fiſcus? Sed prodiga nulli
Mens magis, electis quippe omnia donat amicis
Verus Alexander, regni contentus honore,
Inque animis hominum veras ſibi ponere dudum
Sueuit opes: Comites illinc prędiuite cenſu,
Iſthic Barones, quos vexit ad ardua virtus,
Et fauor, hic Equitum fulget longiſſimus ordo;
Nobiliumque greges alij, donante IACOBO,
Qui iam diuitias amplas, tituloſque decoros
Sortiti, regem largumque bonumque loquuntur.
An ſtudijs noſtris tacitum atque ignobile nomen,
Quod rex contemnat, cui multos præferat aula.

Et

Et docti ignorent? Sed me Lutetia claris
Annumerat, mea Palladiæ ſunt nota Tholoſæ
Nomina, me vitreo quæ lucet fonte Nemauſus
Obſeruat, libris Germania, & vtraq; nouit
Heſperia, Orcheſtram quatio ſeu ſyrmate longo,
Siue ſtylo heroo chartas implere capaces,
Seu numero traxiſſe libet grauiore ſeueros,
Pagina cenſoris ſeu poſcat adultera virgam,
Quæ male pugnabat blattis, Romana vetuſtas
Reddita ſplendori priſco me vindice gaudet,
Claudianum, Ælianum, famaq; minore Corippum
Qui leget, agnoſcet genium. Sed maxime princeps
Num cenſura tua hæc, NEMO TE DOCTIUS ISTA
SCRIPSERIT, HISTORICI NOSTRI TV NOMEN
HABETO.

Ergo quid auertit ſenſus, quis nubila menti
Induit, & deſperata caligine ſolem
Obduxit? cum ſperarem fauſtiſſima, nigro
Turbine conuoluens non læta fronte Tonantem?
Agnoſco inuidiæ rabiem, liuoris acerbi
Tela, venenatis medicataq; toxica linguis.
Non video dextram, ſed vulnera fortius acta
Sentio, Achillææ ferrum quam cuſpidis egit.

Ecce hoſtile fremens odium, ſpumante veneno,
Improba dum abſentis torreret corpora febris,
Et calor Ætnæo coqueret furioſior antro,
Me male traduxit, ſimulataq; crimina finxit
Forſitan, vt facilis poſſet me odiſſe monarcha:
Sic roſa cantharidas inter, ſic lilia duris
Surgunt mixta rubis. Sed nil moror iſta nocentum
Conſilia,

Comitia, & frangi turpe eſt à ſorte maligna.
Altior eſt mihi mens, ſupra & ludibria ſenſus,
Talia nec curat Princeps obiecta libenter,
Forſan venturis olim placatior annis,
Dum Proſagogidæ, dumq; aulica MVSCA faceſſant,
Nec iam opplere velint aures rumore ſiniſtro,
Et mihi honos, & opes, ſtudiorum & nobile nomen,
Dent modò fata dies, venient regione remota,
Et liber calamo campus, quo currere poſſit,
Egregioſq; loqui Reges, exactaq; ſæcla,
Et placido optatam componere fine ſenectam.
Salue ergo æternum (Princeps Auguſte,) quietus
Et fœlix regnes, munitus amore tuorum,
Et tua poſſideant non nati ſceptra nepotes,
Imperium latum genti ceſſura Britannæ.

AD ILLVSTREM VIRVM D. ROBERTVM HAYVM IACOBI FRATREM REGI A PVRPVRA.

QVærebam, qui ſubſidium mihi ferret, & aurem
Accommodaret Principis,
Et Pæan, Hayos adeas, par nobile fratrum,
Meo dicatos numini:
Illi alios fouere meos. Tu perge mereri,
Deiq; verba fac rata.
Sic qui homines pridem officio vincire ſolebas,
Iam numen ipſum hoc obliga.

Votum

ILLVSTRISS. GENEROSISS. Q.

D. ROBERTO CARO

Periſcelidis Eqviti,

Regi ab Arcanis conſilijs,

REGIÆ DOMVS MAIORI,

Somerseti Comiti,

Rocheſtriæ Vice comiti,&c.

L.M.poſuit

THOMAS DEMPSTERVS

I.C. A Mvresk Hiſtoricus

Regius.

A Ioue voto humili pridem dimiſſa ſereno,
Cura ſecũda Iouis,te noſtra Camœna ſalutat,
Forſitã ambitioſa nimis, quod publica regni
Commoda,quod curas æquantem pectore regis
Intempeſtiue priuata ad ludicra ducat:
Sed veniam fortaſſis amor, meritumq; tuarum
Virtutum, officiumq; dabit,tibi nuncupat iſta

Vota cliens, et enim magni vox principis hæc eſt
QVOD PETIS, IN CARI TVTVS DEPONE FAVOREM
ILLE DABIT. tu conſuetam mihi porrige dextram,
Et de Pierio aſſurget tibi vertice Pæan,
Immortale decus famæ nomenq́; daturus.
Anne igitur veteris monumenta inſignia ſtirpis
CARORVMQVE domum memorem? quę ſecula multa
Prima caput dubia pro libertate periclis
Obiecit, primaſq́; manus pro iure tuendo
Conſeruit, patrij qua ſtant diuortia regni.
Sed noſtris res hiſtorijs celebrabitur iſta,
Dummodo placatum reddas in vota tonantem,
Et facies, anathema reum & donaria Phæbi
Te reddunt, te noſtra omnis nam pagina habebit.
An genitor dicendus erit? qui pectore forti
Extorris, charoſq́; Lares, & honora reliquit
Nomina, cognatoſq́; ſuos, meliora ſecutus,
Deuotam impendens animam pro Principe, Enyo
Vt furit, & Scotos alterna in funera miſcet,
Diſcordiq́; animo ciues in mutua currunt
Vulnera, tantum odium & ſcelerata inſania ferri.
Dumq́; alij inſidias proceres, & dira rebelli
Proditione parant, hoſtemq́; in viſcera ducunt
Labentis tacite patriæ, vt compendia captent,
Hic Cato ſeceſſit multos peregrinus in annos,
Vſus honorato hoſpitio, atq́; fauore benigno
Anglorum, his terris reſoluta puerpera coniux
Te dedit, hæc primum tanti prænuntia caſus
Fatalis veluti tacta eſt humus, illa tenellum

Vagitum,

Vagitum,& blandam vocem, & cunabula, nutrix
Formauit, lac illa dedit puerilibus annis,
Sic tanto de ciue ſolum decertet vtrumq;.
Hæc patris. At ſi te quiſquam perpenderit acri
Iudicio,& proprias laudes in carmina verax
Transfundat,minor eſt genitor curaq́; fideq́;
In regem,tibi vita gradus promota per omnes
Principis in vultu,hic infans, puer hic, iuueniſq́;,
Hic vir promeritis adoleſcis honoribus,aula
Ceu priuata domus tibi primo à limine vitæ.
Hic inculpato laudata modeſtia curſu
Innocui mores, & mens ſincera, bonorum
Excultrix,& ſermo grauis,prudentia miris
Aucta modis,dignum ſumma ad faſtigia vexit.
Ambiguum certe eſt, meliorne electio REGIS
Qui te prætulerit multis,an gloria certæ
VIRTVTIS potior? ſane laudetur vterq́;,
Alter iudicio, meritis inſignibus alter.
Iam verò ſi externa iuuant,quæ gratia formæ
Membrorumq́; modus, qualem vix auſa vetuſtas
Fingere ſemideis? vultuſq́; oculiq́; manuſq́;,
Et caſtigato perfectum examine corpus
Inuidiam ſupra, quo nec depingat Apelles
Pulchrius,aut Graius deſcribat Nirea vates,
Egregiam metatum animam,ſublimia ſpirat,
Omniaq́; ex merito ſperat. Te barbarà laudo
Inſula, quæ regem à vultu conſueta creare,
Primum oculos paſcis,mentemq́; à corpore pendis.
Hic princeps,hic tu rector pulcherrimus eſſes.

Quid?

Quid? quod non vllo cõmotam turbine mentem
Deiecit fortuna nocens, vt inhorruit alto
Tempeſtas furioſa mari, tu rectus ad omnes
Inuidiæ aſſultus, maiorq; à frigore ſurgis
Quod metuis, ſed nec pauefactus clade minaci
Oſtendis trepidantem animum, Conſtantia conſors
Eſt comes aſſidue verè regalibus actis.
O! perſtet fauor æternum, precor, ille, tenore
Non interrupto, ſit regis CARVS amicus,
Nubilaq; inuidiæ ſub ſe volitantia ſpernat.

1021.7
Z

99 956382

1021. 7

